



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

1. De honore parentib. tribuendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

laborantibus in die festo vendit, sed cultum & honorem, quem Parochiani in diebus sacris, ac festis tribuere debent, in aliud opus pium & religiosum commutat: nimirum, ut aliquid erogent in aedum sacrarum vsus necessarios, & commodos.

Quæres, an ex lucro quod prouenit ex opere seruili factoin die festo ex Episcopi permissa, debeat aliquid elemosynæ in pios vsus erogari causa compensationis? Quidam senserunt erogari debere, quia in c. licet de serijs dicitur, vt talis elemosyna detur. Sed dicendum est cum Siluestro in verb. Dominica. q. 4. & cum Angel. verb. feria. nu. 35. id esse consilium, non præceptum.

An choreæ, tripudia, saltationes, ludi, spectacula publica, sint: communi iure in diebus festis prohibita, in sexti præcepti explicatione dicemus.

Finis primi libri.

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI  
ESOCIETATE  
IESV

INSTITVTIONVM MO-  
RALIVM.

Pars Secunda:

LIBER SECVNDVS.

IN QVARTVM DECALOGI  
Præceptum.

Honora Patrem tuum, & Ma-  
trem tuam.

CAPVT PRIMVM.

De honore parentibus tri-  
quendo.



ACTENVS de ijs præceptis locuti sumus, quæ ad Dei charitatem, religionem, & cultum spectant: nunc de ijs agemus, quæ nos ad proximi charitatem erudiunt: quæ duo sunt illa præcepta, de quibus Christus Dominus dixit: Legem vniuersam in duobus esse positam, nimirum in Deo, & proximo diligendo. Et Ioannes Apostolus dixit: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Ita etiam, si patres quos secundum Deum amore prosequi & complecti debemus, non veneramus, & colimus, quos in conspectu nostro fere semper habemus: Deo summo parenti, & optimo, qui in aspectum oculorum nostrorum non cadit, quem honorè, quem cultum tribuimus? Ex quo perspicitur, vtraque præcepta inter se maxime conuenire. Fuerunt diuina Decalogi præcepta in duabus tabulis incisâ, in quarum altera tria illa continebantur, quæ sunt hæc tenent explicata: reliqua vero præcepta in alterâ tabulâ erant inclusa. Porro quid quid in sacris litteris diuina lege, aut imperatur, aut vetatur id in his duobus: præceptis continetur, quorum vnum oritur, ac pendet ex altero: aut enim erga Deum, aut erga homines omne charitatis officij spectatur. Et proximi charitas ex Dei charitate promanet & surgit. Charitatem in Deum, superiora tria præcepta docent, & continent:

Azor. Instit. Moral. Pars 2.

quod vero ad hominum beneuolentiam, conjunctionem & societatem pertinet, id reliquis septem præceptis iure præscribitur. Præterea charitas Dei ex ipso existit, & pendet: Deus enim per se, & propter se, non alterius rei causa summo est amore diligendus: at charitas proximi à charitate Dei ortum ducit, & habet, & ad eum tanquam ad certam regulam dirigenda est, & tanquam ad finem referenda. Nam si parentes charos habemus, si dominis paremus, si eos, qui dignitate, vel auctoritate antecedunt, reueremur, si denique proximos amamus, ea maxime præstandum est, quod eorum procreator est Deus, quod eos alijs præesse voluit, quod eos à nobis diligere, & amari iussit gratia ipsorum non emolumenti, & commodi nostri causa. Cum enim apud Matth. 10. de obseruantia in superiores Dominus loqueretur, ait: Qui vos recipit, me recipit: Apollolus in Epistol. ad Ephes. seruos instituens: Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus cum tremore, & simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculi seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi.

Primo queritur, Quinam parentum nomine hoc præcepto intelligantur? Respondeo cum Alex. par. 3. quest. 33. mem. 1. art. 1. præcipue eos intelligi, qui nos procreauerunt. Præter eos tamen significantur etiam alij, qui sunt nobis aliqua cognatione coniuncti. Item, Ecclesiæ Præsides, pastores, & Sacerdotes, patres dicuntur, vt constat ex Apollolo, qui ad Corinthios scribens ait: Non ut consendam vos hæc scribo, sed ut filios meos carissimos monco. Nam si duodecim milia pedagorum habent in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui: Et in Ecclesiastico scriptum est: Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Deinde ijs quibus aut imperium, & dominatus, aut Magistratus, aut potestas dicitur, vel commissa est patres appellantur. Sic Naaman à famulis suis pater vocabatur. Præterea patres eos dicimus, quorum procuratori, fidei, probitati, sapientiæ & curæ tradimur, & commendamur, cuiusmodi sunt tutores, curatores, pedagogi, & magistri. Etiam enim & Eliseum filij Prophetarum, patres vocabant. Postremo patres dicimus senes, & alios, qui sunt in ætate prouecta, quos etiam colere, suscipere & reuereri debemus: ita habet communis opinio apud Nauar in Manuali cap. 14. num. 3.

Secundo queritur, Quæ sint ea, quæ nos ad amorem in parentes excitare, ac mouere queant? Respondeo, multa præsertim ad diligendos eos, ex quibus ortu, ac procreati sumus. Sunt enim Dei optimi & maximi parentis quasi quædam simulacra, & imagines: ab his vita nobis data est, his Deus vsus est, vt nobis animum impertiret, & mentem infunderet: ab his ad sacramenta deducti sumus, ad religionem, ad humanum civilemque cultum instituti; ad honores dignitatumque gradus euecti, litterarum studijs informati, ad morum integritatem & probitatem eruditi. Porro in matre ea beneficia, & merita erga nos consideranda sunt. Quanta cura & diligentia, & sollicitudine nos in utero gestauerit, quanto cum dolore pepererit, quanto cum labore, & studio nos infantes & lactantes aluerit, paruulos educauerit, & infirmos viribus conseruauerit.

Tertio queritur, Quidnam appellatione honoris in hoc præcepto significetur? Respondeo, vt colligitur ex Alexand. 3. part. questione 33. & sancto Thoma secunda secunda questione. 122. articulo. 3. & docent Angel. filij num. 30. Siluest. filij quest. 22. Tabien filij quest. 16. Arnil. filius, num. 2. & 22. Nauar in Manuali, cap. 14. num. 4.

Quarto queritur, Quot & quæ virtutum officia in hoc præcepto contineantur? Respondeo in primis contineri per se, ac proprie pietatis officium, quæ est virtus, qua debitum honorem, cultum, & obsequium his deferimus, qui nos genuerunt: de qua virtute agit S. Thom. 2. 2. quest. 101. Deinde ad hoc præceptum renocantur ea virtutis officia, qua venerationem, honorem, & obsequium debemus his, qui sunt in aliqua dignitate, potestate, auctoritate, magistratu, & honore merito constituti, quique publico munere & officio funguntur: quam S. Thomas obseruantia appellat, & de qua agit in prædictâ parte quest. 102. Item &

G 3 ca of.

Mat. 10

Eph. 6.

1. Cor. 4

Ecclef. 44.

4. Re. 3.

4. Reg. 19.

Mat. 11

1. Jo. 4.

ea officia virtutis, qua parere debemus ijs, qui sunt nobis aliqua potestate, & auctoritate praefecti: quae virtus dicitur obedientia, de qua idem S. Thomas q. 104. & 105. eiusdem partis. Ad hoc etiam praecipuum pertinent opera & officia virtutis, qua gratias habere & agere debemus ijs, qui de nobis bene meriti sunt, aut eo quod in nos boni aliquid contulerunt: quam virtutem, gratitudinem sanctus Thomas appellat, hoc est grati animi virtutem: de qua in eandem quoque parte quaestione 106. Postremo ad hoc praecipuum reducuntur omnia officia charitatis in proximum. Et cum misericordia sit eius filia: sub hoc praecipuo continentur omnia opera misericordiae, quales sunt eleemosynarum largitio, errantis & delinquentis correptio: de quibus omnibus & singulis est nobis distincte, dilucide, & breuiter differendum. Hinc apparet, hoc libro esse nobis agendum non solum de peccatis, quibus honor parentibus debetur violatur, sed de his etiam, quibus debita proximo misericordia, benevolentia, & charitas denegatur, & quibus etiam proximi offensio gignitur, quae scandalum vocatur.

CAP. II.

De ijs spectatim, quae filij parentibus debent.

PRIMO quaeritur, in quo consistat amor qui parentibus debetur, & quibusnam rebus violetur, aut quando deferatur. Respondeo, parentes erga nos ita esse affectos, vt nullum laborem nullum, periculum nostra causa refugiant: quare nihil illis potest accidere iucundius, quam vt filijs caros se esse sentiant, quos ipsi maxime diligunt: vnde honor, qui parentibus debetur, ex intimo animi sensu & amore proficisci debet. Ioseph cum in Aegypto honore, & auctoritate Regi esset proximus, patrem suum, qui in Aegypto venerat, honorifice excepit: & Salomon matri ad se venienti assurrexit, eamque veneratus, regio in folio ad dexteram collocauit.

Gen. 41  
Ios. 46.  
3. Re. 3.

Honoramus item parentes, cum a Deo suppliciter petimus, vt eis de bene & feliciter omnia eueniant: vt in maxima gratia, & honore sint apud homines: vt ipsi Deo, & sanctis, qui in caelis sunt quam commendatissimi sint. Parentes item honoramus, cum nostras rationes & actionesque vitae ad eorum arbitrium & voluntatem componimus, & ad eorum consilium dirigimus. At enim Salomon *Audi filij disciplinam patris tui, ne dimittas legem matris tuae: ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo:* quod est dicere; Hoc te faciet gratum apud omnes, vt solent esse paruuli puercilibus ornamentis cohonestati, coronis capiti impositis, & monilibus collo appensis, Hinc illae Apostoli cohortationes: *Filij obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est.* Item *Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Domino.* Vnde magna, & multa proborum hominum exempla extant. Isaac a patre ad sacrificium vincit, ei modeste, ac sine recusatione, & mora interposita paruit: Recabit ne vnquam a patris consilij & monitis recederent, vno se in perpetuum abstinerunt. Item honoramus parentes, cum eorum recte facta, & bonae vitae mores imitatur: his enim plurimum tribuere videmus quorum volumus esse quam simillimi. Item honoramus parentes, quorum consilium exquirimus, ne dum sequimur: Item quibus inuenimus ea impetiendo, quae videtur cultusque desiderant, quod Christus suo testimonio comprobauit, qui Pharisaeorum impietatem redarguens:

Prov. 1.

Gen. 2.  
Hic. 35.

Mat. 15.  
Ex d.  
20°

*Quare, inquit, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dicit: Honora patrem tuum & matrem: Quia maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Qui dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecerit mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Secundo Quaeritur, Quib. mod. filij alij delinquant contra amorem parentibus debitum: Respondeo eos lethaliter delinquere, in primis si parentes, odio habeant, si malum aliquid, quod sit alicuius momenti, illis optent, si illis nunquam signa amoris exhibeant & ostendant: & in his omnibus peccatis confitendis parentum circumstantiam oportet exprimere. Sic Angelus, Siluester; Tabienfis, Armilla, Nauarrus, & alij locis capiti superiori citatis.

Tertio quaeritur, Quando nam filij peccent contra venerationem & cultum parentibus debitum? Respondeo, eos grauitate peccare, si in parentes maledicta conijciant, si eos contumelijs laesant, si grauitate increpent, si passim asper & dure tractent, si eos notabiliter laedant, vel eis manus inferant: & in his etiam omnibus peccatis confitendis, apertenda est circumstantia parentum Sic Alex. Ang. Silu. Tabien Armil. Nauar. locis supra citatis. In veteri lege iubebantur occidi filij, qui patri vel matri maledicebant. At etiam Salomon; *Qui affligit, patrem, & fugit matrem, ignominiosus est & infelix; item Qui maledicit patri suo, vel matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. rufus, Oculum qui subijcunt patrem, & qui despicit partem matris sua, effodiant eum corni de torrentibus, & comedant eum filij agnati.* In filios qui parentibus iniurias intulerunt, Deitira cuncta exarfit. Non enim Dauidem iustum reliquit: nam sceleris Abislon filius eius pomas debitas dedit, quae tribus hastis transfixu sacrae litterae prodiderant.

En. 11.  
Dm. 1.  
Pom. 19.  
Ios. 10.  
Ios. 10.

Quarto quaeritur, in quibus filij grauitate violent obedientiam, quam parentibus debent? Respondeo eos grauitate violare, si in re alicuius ponderis & momenti, quae ad gubernationem domus, vel familiae pertinet, non parenteant, Deinde si in ijs, quae spectant ad bonos mores, & ad salutem animae non obtemperant. Cuiusmodi sunt haec quae sequuntur: si laborare nolint in agro: cum tamen ij ad eos pertineat. Item, si parentes praecipiant, vt filij ludos praesertim noxios deuitent, confortia praua, & mala fugiant, ad meretricibus & luxu abstineant. Cum etiam precipiunt, ne noctu domo exeant ob periculum malorum euitandum. Haec omnia intelliguntur, quando parentes serio iubent, & filij eorum iussa scientes negligunt & recusant: non tamen, si per inconsiderantiam, vel obliuionem praetermittant. Haec ex Alex. Ang. Silu. Tabien. Armil. Nauarri, aliorumque communi doctrina locis supra allegatis.

Quinto quaeritur, Quando nam filij debent parentibus auxilio, & subsidio esse? Respondeo, semper, quotiescunque eorum opera, & ministerio parentes egent: sed maxime cum grauitate & periculose agrotant: tunc enim filij datuti sunt operam, ne quid praetermittant, quod ad peccatorum confessionem attinet, vel ad reliqua Sacramenta, quae a Christianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat: & id eius cura esse debet, vt pii religiosique homines eos crebro interuisant, qui vel imbecillos confirmant, & praesidio inueniunt; vel optime animatos ad spem erigant immortalitatis: vt mentem a rebus humanis auocent, & totam conijciant in Deum: vt fidei, spei, & charitatis, religionisque praesidio muniti mortem non modo non pertimescendam, cum necessario subeunda sit, sed cum aditum ad aeternitatem expediat, etiam appetendam censent. Parentibus itidem etiam subsidium tribuitur, si ijs vita functis funus facimus, si eos exequijs debitis cohonestamus, si illis honorem sepulturae impertimus, si iusta, & sacrificia anniuersaria curamus: si etiam quae ab his legata sunt, & debita contracta, persoluimus diligenter.

Sexto quaeritur, an filij in matrimonio contrahendo debeant parentum consensum requirere, consilium sequi, voluntati parere? Conuenit inter auctores, filios cum ad aetatem maturam peruenierint, ius & facultatem liberam habere nuptias contrahendi: vt Angelus, Siluester, Tabienfis, Nauarrus, & alij tradiderunt. quod tunc locum habet, cum filius non ducit uxorem feminam vilem & abiectam, & cum puella non nubit viro se indigno.

Sed quaestio dubia est, an leges, & statuta, quae vetant, ne filia absq. patris consensu nubat, improbari debeant?

